

1176. — 2° Neque factus est irregularis in secundo casu, quia mortem furis non intendit; imo rogavit, ne morte plecteretur. Clerici enim accusare possunt eos a quibus injuriam accipiunt, licet ii morte plecterentur, modo expresse protestentur se pœnam capitis non intendere. Secus enim improbis hominibus daretur ansa Clericos occidendi, vel eos bonis suis spoliandi, ubi ipsi conqueri non possent. *Reuter, n. 316, Coroll. 1 et 8.*

## CASUS VII.

## DEFECTUS LENITATIS 2°.

FIRMILIANUS, Parochus, a prædonibus noctu invasus, fistula sua jaculatoria unum ex eis occidit; alteri nasum gladio aufert; diffugiunt reliqui; duo capiuntur et ad mortem damnantur. Advocatur FIRMILIANUS ut eos in morte juvet, et ad supplicium comitetur. Cum autem cœlum pluviosum sit, hortatur aurigam ut festinet viamque breviorē capiat.

HINC :

QUÆR. *An FIRMILIANUS irregularitatem contraxerit in circumstantiis modo enuntiatis?*

SOLUTIO :

1177. — *R. 1° FIRMILIANUS non incurrit in irregularitatem, vitam suam et res suas, noctu præsertim, defendendo contra injustos invasores, quamvis unum occiderit et alium mutilaverit. Licet enim unicuique se defendere contra injustum aggressorem vitæ et bonorum notabilium, modo non excedatur moderamen inculpatae tutelæ. Sed in hujusmodi circumstantiis valde erat difficile FIRMILIANO excedere moderamen inculpatae tutelæ, cum in mediis tenebris tantum esset periculum. Ergo ex illa parte minime est inquietandus FIRMILIANUS, S. Lig. n. 389.*

1178. — 2° Nec incurrit in irregularitatem adhortando aurigam ut festinaret et viam breviorē caperet, propter tempus pluviosum, dum reos ad supplicium comitaretur; quia hoc ad supplicium non spectabat, sed tantum suadebatur ut incommodum pluviae vitaretur, hoc enim lenitati non repugnat. *Reuter, Coroll. 9, n. 316.*

## CASUS VIII.

## ORDINIS USURPATIO,

*Et censuræ violatio.*

1° VICTOR, Diaconus, dum sub nocte adesset in Ecclesia, cernens vetulam juxta sedem confessionalem adstantem et Confessarium expectantem, jocandi gratia, et ad experiendum quomodo illa confiteretur, locum Confessarii accepit, pœnitentem audivit, et absolutionem simulavit.

2° DIDYMUS, Sacerdos, ob aliquod delictum suspensus, Missam tamen pluries celebravit.

3° LEO, Sacerdos, ex delicto irregularis factus, Sacrum facere non dubitavit.

HINC :

QUÆR. 1° *An VICTOR in irregularitatem incidit?*

2° *An DIDYMUS in irregularitatem incurrerit?*

3° *Quid, si suspensus tantum fuerit a beneficio?*

4° *Quid de LEONE statuendum?*

SOLUTIO :

1179. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Affirmative, quia usurpavit functionem Ordinis sacri, ad quem non fuerat promotus. Constat ex Bulla Clementis VII, 81, in qua sic habetur: Decernimus, ut quicumque non promotus ad sacrum Presbyteratus Ordinem repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse, aut sacramentalem Confessionem audivisse..., a foro Ecclesiastico abjiciatur. Ergo irregularitatem contraxit Victor; sed si factum sit occultum, ab Episcopo dispensari potest. Pontas, verbo Irregularité, cas. 88.*

1180. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. DIDYMUS contraxit irregularitatem, censuram violando; quicumque enim Clericus qui ab Ordine sacro est suspensus, et Ordinis functiones exercet, eo ipso fit irregularis: sic ex Jure can. c. 1, de Sent. et re judic. in 6°. Unicam tamen irregularitatem contraxit, licet pluries celebraverit; quia non multiplicatur irregularitas, si idem delictum multiplicetur.*

1181. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. DIDYMUS in hac hypothesi non factus est irregularis, quia suspensus a beneficio non est ideo suspensus ab officio, nec proinde peccat officium exercendo. Pontas, ibid., cas. 96.*

1182. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst. LEO, jam irregularis, non incurrit in secundam irregularitatem. Ratio est, quia irregularitas contrahitur tantum in casibus a jure determinatis. Porro in jure non dicitur, irregularitatem in hoc casu contrahendam esse. Potuisset tamen incurrere in novam irregularitatem, non quidem ex eo quod priorem violasset, sed propter violationem censuræ, v. g. suspensionis, si forte aliqua lata esset in admitentes delictum, cujus causa irregularis factus est.*

## CASUS IX.

## HOMICIDIUM 1°.

1° GENESIUS, inimicum PANCRATIUM contumeliis et improperiis lacessivit, atque cumulavit. Ira incensus PANCRATIUS in GENESIUM, districto gladio, irruit. Hic vero, ut morti certæ se subtraheret, eum præveniens transfodit. Cum autem Ordines suscipere postea cupiat, nescit an irregularitatem incurrerit.

2° GENEALDUS, gravi contentione cum QUIRINO habita, cum eo conflicendo ejus pollicem ex dimidia parte, et indicem integrum amputavit; atque adeo graviter in faciem percussit, ut ille utrumque oculum amiserit.



3° ALFREDUS CUM SIDONIO congregiendi, manum ejus adeo valide compressit, ut hic ea manu non amplius in posterum uti potuerit.

HINC :

QUÆR. *An prædicti in irregularitatem incurrerint?*

SOLUTIO :

1183. — *R. ad 1<sup>m</sup> casum.* In specie casus controvertitur utrum contrahatur irregularitas, necne. Affirmat *Pontas*, verbo *Irrégularité, cas. 24.* Sed melius distinguendum est : si GENESIUS, inimicum verbis injuriosis provocans, prævidit se facillime ab eo aggrediendum esse, factus est irregularis eum occidendo, etsi ad suam defensionem id fecerit, quia tunc dedit operam rei illicitæ, proxime periculosæ. Secus vero, si hoc non præviderit. *Ita S. Lig. n. 388. — Suarez, etc.*

1184. — *R. ad 2<sup>m</sup> casum.* GENEALDUS in nullam incurrit irregularitatem, quia adversarium non mutilavit : etenim ad mutilationem requiritur amputatio seu abscissio membri, vel partis corporis quæ proprium officium habet, ut pes ad ambulandum, manus ad agendum. Media autem pars digiti, vel digitus integer, vel etiam alter, non constituit membrum. Nec refert quod GENEALDUS adversarium excæcaverit, quia ejus oculos non eruit, nec effodit, sed tantum eum visu indirecte privavit : ergo eum non mutilavit. *S. Lig. n. 378 et seq. — Pontas, verbo Irrégularité, cas. 82.*

1185. — *R. ad 3<sup>m</sup> casum.* ALFREDUS non evasit irregularis, quia SIDONIUM non mutilavit. Etenim irregularitas non contrahitur nisi casibus jure determinatis : porro ex jure non statuitur contrahendam esse irregularitatem ob corporis læsionem, præter homicidium et mutilationem ; atqui in casu nostro manus fuit tantum debilitata, non vero mutilata : ergo revera ALFREDUS ab irregularitate immunis esse debet. *Pontas, ibid., cas. 83.*

1186. — Attamen *S. Ligorius, n. 380*, dicit cum aliis valde probabiliter, incurrere irregularitatem eum qui alterius membrum ita debilitavit, ut illud aridum, seu mortuum reliquerit ; quia tale membrum, licet juxta apparentiam non sit mutilatum, reipsa tamen ablatum censetur, cum non sit amplius animatum et ad usus proprios aptum. Quare probabiliter e converso non fieret irregularis ille qui tale membrum omnino exsiccatum abscinderet, quia non esset mutilatio formalis. Quidquid sit, stante controversia, in nullo est admittenda irregularitas, nisi interveniat mutilatio proprie dicta.

### CASUS X.

#### HOMICIDIUM 2°.

1° TITUS inimicum suum ex odio graviter vulneravit : hic postea mortuus est quidem ; sed dubium est an mors ex vulnere, aut medici negligentia secuta sit.

2° CAIUS abortum suasit ANNÆ quacum peccaverat, quod et factum est ; sed nesciebat utrum foetus esset animatus, necne.

3° SEMPRONIUS suggestit alteri modum et occasionem ut vindictam ab inimico suo sumere posset, eum vel mutilando, occidendo ; sed dubium est an mors, vel mutilatio secuta fuerit.

4° MARIUS cernens amicum in conflictu contra injustum aggressorem, se injicit in medium et, morte hujus, alterum liberavit.

5° ALBERTUS, miles, pugnavit in bello quod sibi justum videbatur ; dubitat vero, an ejaculando cum aliis aliquem occiderit.

HINC :

QUÆR. *An omnes isti in irregularitatem incurrerint, vel quinam ab ea irretiantur, necne?*

SOLUTIO :

1187. — *R. ad varios casus propositos :*

1° TITUS factus est irregularis, non obstante dubio de efficacia suæ actionis in mortem inimici sui. Ratio est, quia irregularitas hæc imposita est danti causam injustam, vel occasionem mortis quæ secuta est. Igitur, quando constat de morte alicujus, et de actione mala a te posita, quæ hujus mortis causa esse potuit, censeris factus irregularis, licet dubites de influxu sufficiente actionis tuæ ad mortem afferendam. *S. Lig. n. 347. — Reuter, n. 320. — V. Comp. n. 1087.*

2° CAIUS non est habendus ut irregularis, si verum sit dubium an foetus animatus fuerit necne, quia in eo casu de morte prolis non constat. *V. Comp. n. 1019 et 1088.*

1188. — 3° SEMPRONIUS non est irregularis, quia, ad irregularitatem contrahendam ratione homicidii, requiritur ut de morte constet. Imo quoad mutilationem non esset irregularis, etiamsi constaret de facto mutilationis, et dubium foret de influxu in eum, quia pro solo homicidio dubio lex irregularitatem imposuit. *S. Lig. n. 347.*

4° MARIUS immunis est ab irregularitate, modo non excesserit moderamen inculpatæ tutelæ, amicum contra injustum aggressorem defendendo. Ratio est, quia id quod licitum est ad seipsum defendendum contra injustum aggressorem, etiam licitum est, ratione caritatis, ad alium a morte liberandum. *S. Lig. n. 388, et de v° Præc. n. 389.*

5° ALBERTUS minime factus est irregularis, quia in bello quod justum reputavit ipse pugnavit, et non constat quod aliquem propria manu occiderit, juxta dicta supra in casu 6°, n. 1175. — *Reuter, n. 320.*

### CASUS XI.

#### HOMICIDIUM CASUALE.

1° LONGINUS, viduus, Ordines suscipere cupiens, meminit se olim filium suum recens natum suffocasse, dum ipsum in lecto secum una cum uxore repositum haberet. Hinc dubitat an irregularitatem contraxerit.

2° DIDACUS, Clericus, venationi tempore vacationum operam dando, cum ALBANO alio Clerico, dum leporem occidere vellet, socium infeliciter



globo trajecit. Rem Confessario exposuit, a quo audivit se tum excommunicationem, tum irregularitatem contraxisse.

3° ARSENIUS, medicus, ægroto remedium præbuit dubius utrum profuturum esset necne, sed cujus experimentum facere volebat. Ægrotus paulo post mortuus est. Medicus autem volens Ordines sacros suscipere, timet ne in irregularitatem incurrerit.

HINC :

QUÆR. *Quid de irregularitate in prædictis casibus?*

SOLUTIO :

1189. — R. *In primo casu* distinguendum est. LONGINUS factus est irregularis, si mors pueruli evenit ex culpa gravi, id est, si proximum suffocationis periculum præviderit, quod facile evenire potest, ubi infans recens natus sit. Secus vero in alia hypothesi.

1190. — DIDACUS *in secundo casu* non factus est irregularis *per se*, nisi forte valde imprudenter egerit, et periculum præviderit. Plures tamen *affirmant*, juxta quos DIDACUS irregularitatem in eo casu incurrisset, quia socium occidit vacando operi illicito. Sed *respondeo* : 1° Non omnis venatio Clericis prohibetur, sed tantum venatio clamorosa. 2° Non sufficit ad irregularitatem contrahendam, ratione homicidii *casualis*, ut quis vacet operi illicito, sed requiritur insuper ut opus illud sit proxime periculosum; nam non satis est ut actio sit mala, sed debet esse mala ex malitia homicidii. Ita S. *Lig. n.* 386. DIDACUS igitur non censetur irregularis nisi magna imprudentia egerit, quia venatio non est *per se* et *proxime* periculosa; homicidium enim quod accidit mere *casuale* fuit, seu *per accidens* evenit.

1191. — ARSENIUS *in tertio casu* irregularitatem vere contraxit, si mortis periculum prævidit; quia contrahitur irregularitas ab eo qui prævidet mortis periculum ex aliqua sua actione secuturum, et negligit culpabiliter illud præcavere: ergo, a fortiori, contrahitur ab illo qui periculum ex proposito præbuit; atqui ARSENIUS posuit periculum mortis ægroti, cum experimentum de efficacia remedii incogniti facere voluerit. Ergo reapse irregularitatem incurrit. Potuit tamen ARSENIUS dubitare de efficacia remedii quin existimaret illud fore nocivum; quia remedium potuit esse simpliciter inutile, et tunc nullus fuisset irregularitati locus.

FINIS TOMI SECUNDI.

## INDEX TOMI SECUNDI

### CASUS

#### DE STATIBUS PARTICULARIBUS.

##### DE STATU LAICALI.

	Pag.
CASUS I, II. Judex.....	1
— III, IV. Advocatus.....	3
— V. Apparitor.....	6
— VI. Reus in judicio.....	7
— VII. Testis in judicio.....	8
— VIII, IX. Notarius.....	9
— X. Custos.....	11
— XI. Medicus.....	12
— XII. Pharmacopola.....	13

### CASUS

#### DE STATU CLERICALI.

CASUS I. Vocatio clericalis.....	15
— II. Clerici dotes.....	16
— III. Candidatus ad Clericatum lacrymabundus.....	18
— IV. Officii divini obligatio.....	18
— V. Officii divini recitatio.....	20
— VI. Tempus Horas recitandi.....	21
— VII. Ordo recitationis.....	22
— VIII. Recitatio cum socio.....	23
— IX. Ancilla recitationis socia.....	24
— X, XI. Causæ a recitatione excusantes.....	25
— XII, XIII. Parochi munus.....	27
— XIV. Adjutoris Parochi munus.....	30
— XV. Confessarius intricatus!.....	31
— XVI. Canicorum obligatio.....	32

### CASUS

#### DE STATU RELIGIOSO.

CASUS I, II. Vocatio religiosa.....	34
— III. <i>Id.</i> Quatenus cognoscenda et dirigenda.....	36
— IV. <i>Id.</i> Qualis finis intendendus sit.....	38